

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Andaluzia, in qua conventus Hispalensis, Gades

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Andaluzia, in qua Conventus Hispalensis, Gades.

Regio.
Nomen, & unde
deductum.

Situs.

Cœli temperies.
Solis fertilitas.

Imperium majorum.

Urbes.

Andaluzia Hispaniæ Bætica pars, nomen adepta dictaque quondam *Vandalia* putatur ab *Vandalis*, Germaniæ populis, quos olim ad hæc usque loca devenisse, multi memoriæ produnt. Sic igitur, ut nonnullis nomen penitus rimatis placet, *Andaluzia* appellatur quasi *Wendenheys*, *Vandalorum*, *Domus*. Marius Aretius *Andaluziam* vocatam augurat, quasi *Ante Lusitaniam*, mutatis nonnullis litteris. Ad Ortum habet Granatam, ad Septentrionem Castellam Novam, ad Occasum Pacensi Silvensique Dioecesebus & Ana Flumine terminatur: ad Meridiem Atlanticum spectat Mare. Hujus præcipua pars *Conventus Hispalensis*. Hic ab Ortu Cordubense territorium, ab Occasu Algarbiorum fines habet: quæ Septentrionem spectat, eam Lusitaniam ditionem attingit, quæ Magistratus S. Jacobi vocatur. Cætera vero Meridiem versus Gaditano Conventu, & Oceano clauduntur. Cœlum hic indulgens & felici quadam hilaritate & temperie ridens. Terraque in universo hoc tractu ad miraculum usque, Frumenti, Vini, Olei & omnis generis Frugum feracissima est, quibus longinquas & transmarimas provincias replet. Secundum Plinium Hispania, quacunq; ambitur mari Italiæ laudibus proxima: quod de ea Bætica parte potissimum intelligendum putamus, quæ ad Hispalensem Conventum spectat; est enim Oceano & Zephyri lenibus flabris exposita. Hæc igitur Regio insigni rerum omnium fertilitate luxuriat, eo nomine univ. Orbis provincias longe superans: eamque merito Plinius ante Italiæ laudes posuisset, nisi Homo Italus patriam anteferre voluisset. Hic etiam pecorum omnis generis magna copia, sed præcipue Cuniculorum. *Andaluziam* nomen a *Vandalis* habere supra diximus, quod hi a Gothis pulsi hoc loco sedes suas fixerint: quibus postea etiam ejectis, in Africam concesserunt. Res ita sese habet: Rodericus viceimus quintus Gothorum Rex, in quo etiam Regium Gothorum nomen defecit, Comitum quendam Iulianum Præfectum constituerat Mauritaniam Tingitanæ: ejusque absentis interea Filie stuprum intulit. Quo pater audito, Saracenos, ex Africa evocavit, justissimum dolorem suum Regis vindicta satiaturus. Hi anno salutis DCCXIV Duce Muzamisso per angustias Preti Herculi ingressi, biennii spatio totam fere Hispaniam occuparunt, præter Astures natura loci munitos. Periere tantillo tempore utrimque septingenta hominum millia. Saraceni potiti Imperio, Christianorumque (quantum fieri potuit) Religione extirpata, Regna inter se varie partiti sunt. Primum fecere Cordubæ, quod ipsi vocavere *Abenalibeticum*. Alterum apud Hispalim, Tertium apud Carthaginem novam: donec a Ferdinando III his locis pulsi Granatam concesserunt anno MCCXVI: & a Ferdinando VI penitus ejecti sunt anno MCCCXCIV. Metropolis est quæ *Hispalis* Plin. *Isipalis* Ptol. *Hispal* Silio, *Spalis* Gratiano, hodie *Sevilla*. Arias Montanus putat *Hispalim* nomen esse Pœnicum, ex *Spila* vel *Spala* deflexum, quod planiciem seu virentem regionem significat. Alii, inter quos F. Tara, ad *Hispalim* Herculis Libyci filium, nomen conditionemq; referunt. Ridiculus hic ut in multis Isidorus, qui, quum ab Iulio Cæsare conditam, exq; ipsius & Romæ Urbis vocabulo *Iuliam Romulam* notasset appellatam, a *Palis suffixis* in loco palustri sic dictam memorat.

VIII



Vrbs ad Bætium Situ amoenissimo excellens, Ambitu magna, Forma fere totunda, Visu pulcra, Templis celebris, ædium pulcherrimarum frequentia exulta. Tam multa de hac Vrbe præclara commemorari possent, ut natum sit inde & tritum vetustate proverbium, *Quino hauiſto Sevilla, no ha uiſto Maravilla.* Cum aliis felicis ingenii alumniis gaudet, tum Benedicto Aria Montano, nobilissimo & summo Theologo, plurimarum Linguarum cognitione stupendo. Testantur id Opera ab ipso edita, quæ summam ejus admirationem apud omnes excitant. Metropoli visa, reliquarum Urbium nonnullas indicabo, Ordinis incuriosior; sit tamen, ut quasque Metropoli suæ proximas primo loco. Offert se quinta ab Hispali leuca *Palatium* vel *Palantia*, quod vulgo *Palacios*, sic dictum ab Arce perantiqua, quam lateri habet adhaerentem. Via sitim, quæ ad S. Lucae Fanum Tritumque Gaditanum ducit. Huic succedunt *Cabeza*, opidulum in Montium, qui in Meridiem Malagam versus se extendunt aditu situm: & Cabecis versus Libonotum ad tertiam leucam Opidum, quod vulgo *Lebriza*, *Nebriſſa* Ptol. Plinius *Veneriam* cognominat. Situm fuit olim inter Bætis æstuarium, hodie octo pass. M. ab flumine, oblimato sinisterrimo Alveo. Conditor perhibetur Liber Pater. Opidulum est peramœnum & pulcrum cum Arce perveteri, Agro undique beatissimo cinctum. Cive nobilitatum est *Ælio Antonio* Hispaniæ totius Ornamento. Quæ *Carmona* vulgo, *Carmon* Straboni est, *Carrio* Antonino, *Charmonia* Ptol. *Marchena* hodie, *Colonia* quondam, inquit Onuphrius ex antiqua basi, *Martia*. Situm est hoc Opidum in Colliculo quodam, ubique planities spectante. Sunt & Andalusiz Opida *Lora* ad dexteram Bætis ripam: *Axalita* vetustis Lapidibus, teste Clu. *Flavium Axalitanum* Amb. Mor. ex antiqua item Inscriptione, inter Hispalim est & Cordubam. *Mora*, olim Clusio *Arucii*, notantibus Plinio, Antonino & prisco Lapide. *Ossima*, *Ossona* Appiano, *Osson* Strab. *Ursi* Plin. cui & *Gemma* (forte *Gemina*) *Urbanorum*, *Ursa* in antiquis hujus loci Inscriptionibus: *Ursio* Hirtio. *Epora* ad Singulim fluvium hodie *Xenil* vel *Chemil*, Ptolemæo cluit *Astygis*, *Augusta Firma* cognominatur a Plinio: quod Opidum non adeo magnum hodie tredecim ab Hispali leucis visitur. Inter eandem Hispalim & Cordubam medio fere itinere, ad dexteram Bætis oram *Pena flor*, Ptol. putatur *Ilipula magna*, in mediterraneis Turdulorum, *Ilipa* cognomine *Italica* Plin. qui Hispalensis Conventui attribuit. Decimo hinc milliari ad ejusdem Fluvii ripam est *Corduba* Ptol. *Cordona* vulgo: Plinius *Coloniæ Patritiæ* tradit cognominatam, quod etiam ex antiquis Marmoribus probat Moralis. *Corduba* tanquam *Cor Bætis* dicitur Joanni Gerundensi. Alumnos habuit rei militaris gloria doctrinæque studiis præcellentes. Beata hodie est *Corduba*, præter alia multa bona, fertilissimis Agris, Hortis amoenissimis, Aquis etiam saluberrimis. Solum Cordubæ vocat aureum Silius Italicus lib. 111

Nec decus aurifera cessavit Corduba terra

Quinque leucis ab Corduba versus Meridiem *Mons est Major*, vulgo *Monte Major*, *Ulia* existimatur Pro. Turdulorum in Hispania Bætica Vrbs: *Ulia Antonini*. Decem ab Corduba milliariibus *Mons Aureus* est, *Montero* vocatur vulgo: *Epora* creditur Antonini. Male apud Ptolemæum, *Ebura* pro *Epora*, quum illa sit non Bætica, sed Lusitaniz: pejus autem *Ripepora* in vulgatis Plinii codicibus, ubi *Federatorum* cognominatur.

tur. Hispalim recurro, hincque per Palatium, Alcantarillæ Pontem, Opidaque Cabeças & Nebriffam, *Lucifiri* peto *Fanum*. Sic Latini videntur nominasse, quod Strab. lib. 111 sic nominat: quodq; appellatum etiam addit, *Lucem Dubiam*: hodie *S. Lucas de Barrameda*. Haud procul hinc quarta fere leuca versus Vulturum, Opidum est, quod Hispanis *Xeres de la Frontera* dicitur, quasi Hispaniæ ex hac ora vel initium vel terminus. Hoc Navigerius in Itin. putat esse quod *Asta* Liv. & alii: *Hasta* Anto. per adspirationem. *Astam* tamen Mor. scribit adhuc nomen retinere, vel locum illum esse, circa Guadaleten Amnem, qui vulgo *Masa de Asta*. Abrahamus Ortelius haud multum abest, quin submersam putet cum Infula Tartesso in Bætis ostio. Centum Itadiis a Bætis ostio distat *Chipiona* Opidum, Strab. lib. 111, *Capionis Turris*. Ad ostium Lethes fluminis, quod hodie *Guadalete*, vel Arabice *Bedalac*, Opidum est, cui nomen *Portus S. Mariae*, vulgo *Elpuerto de S. Maria*. Lethen transgressis occurrit cum aliis *Medina Sidonia*. Meridionaliora versus Fretum petentibus offert se *Comlium*, non ignobile Hispaniæ Opidum, sex leucis distans ab Gadum Vrbe: illustrissimo *S. Lucæ*, qui & *Medinæ Sidoniæ*. Duci parens. *Comlium* habetur ab Georgio Austriaco apud Or. *Carteia* Pto. *Tariffam*, quam *Carteam* quidam opinantur, ex Tartesso corruptam si quis dixerit, non admodum pugnandum videtur. Non procul inde *Vegetum* est, vulgo *Veget*: Opidum exiguum quidem, sed situ opereque clarum: Colli quem latissima undique planities cingit, impositum: adeo ut inde circumquaque prospectus pateat, quousque oculorum acies extendere se potest, tam in lætam laxamque planiciem locaque compascua, versus Solis exortum: quam in Africæ Montes & oram circa Meridiem: nec non in vastum & tumultuosum Oceanum versus Septentrionem & Occidentem. Hic in Caurum iter flectentes obviam habent *Mundam*. Sic nominat Opidum Plinius, quod hodie vulgo *Monda*. Putant tamen alii antiquam *Mundam* esse, quæ hodie *Ronda Veja*: *Mondam* autem, cujus antea memini, duobus inde milliariibus extructum fuisse ab Arabibus, prisco retento nomine, uti mos illis. Sunt autem in diœcesi Hispalensi innumera Monachorum & Virginum Vestalium Monasteria. Longum sit etiam Xenodochia recensere, cum in una Hispali tantum ultra centum viginti numerentur egregie dotata, ut multa octo millibus aureorum, nonnulla quindecim millibus annuis locupletata sint. Est vero Hispali ædificiis sacris & templis omnium Hispaniæ urbium ornatissima; inter quæ templum Mariæ sacræ, quo nullum habet Christianus Orbis excellentius, si operis amplitudinem & majestatem sacra quadam hilaritate & pulchritudine venerabilem & turrim summæ celsitudinis, è qua ad lætas horas signum datur, editissimo & operosissimo fastigio admirabilem spectes, unde in universam urbem & latissime circumjacentes campos jucundissimus prospectus est. Quid Regiæ Arcis ornamenta vere Regia describam? qua nullam elegantioris structuræ, aut gratioris Hispani Reges habent. Quid sumptuosa Ducum, Comitum & illustrium procerum palatia: quid amenissimis fontibus & viretis ornatas civium ædes memorem? Præterea antiquos aquarum rivos longe per arcus in varias urbis regiones derivatos, & recentiores S. P. Q. H. ingenti sumptu & industria ad Herculanæ vulgo dicta; Columnas deductos & publicæ voluptati dicatos; palustri & uliginosa vastissimæ amplitudinis area, confitis arboribus, in pulchrum viridarium reformata, & latis spatiis in Circi speciem addecursiones & inambulationes relictis.